

**www.e-rara.ch**

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei  
Demonstratio**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo**

**Antverpiæ, M. DC. XI.**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput II. De materia, forma, & ministro sacramenti matrimonij.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## CAPVT II.

De materia, forma, & Ministro Sacramenti  
Matrimonij .

DE materia huius sacramenti duæ sunt Theologorum præcipuæ sententiæ. *Materia Sacram. Matrim.*

Vna est, quod consensus coniugum verbis expressis, seu verba consensum exprimentia sint materia, & forma huius sacramenti.

Altera est, quod ipsa corpora, seu personæ contrahentium sint materia, verba vero exprimentia consensum sint forma. Quæ sententiæ meo iudicio sunt ambæ veræ, & facile conciliari possunt. Nam coniugij sacramentum duobus modis considerari potest. Vno modo, dum fit. Altero, dum permanet, post quam factum est. Est enim Matrimonium simile Eucharistiæ, quæ non solum, dum fit, sed etiam dum permanet, sacramentum est. Dum enim coniuges viuunt, semper eorum societas sacramentum est Christi, & Ecclesiæ. si igitur consideretur Matrimonium, dum fit, tota eius essentia in signis exprimentibus consensum mutuum consistit: corpora enim coniugum non concurrunt, nisi vt materia circa quam: vt etiam, dum fit Eucharistia, tota essentia consecrationis in verbis sacris posita est, panis autem, & vinum solum concurrunt, vt materia circa quam. Et idem videmus in alijs contractibus. Nam, cum venditur, aut emitur domus, tota contractus ratio in consensu mutuo sita est, domus autem est materia, circa quam operatio illa versatur, nemo enim dicit domum, quæ venditur, partem esse contractus: sed quia verba vnus coniugis determinat verba alterius, & ab illis pariter determinantur, ideo in iisdem verbis distingui potest materia, & forma: nam verba, quatenus determinant, forma dici possunt; quatenus determinantur, materia. Si vero consideretur Matrimonium iam factum, & celebratum, negari non potest ipsos coniuges simul cohabitantes, siue externam coniugum societatem, & coniunctionem esse materiale symbolum externum, repræsentans Christi, & Ecclesiæ indissolubilem coniunctionem: quemadmodum in Sacramento Eucharistiæ, consecratione peracta remanent species consecratæ, quæ sunt symbolum sensibile, atque externum interni alimentum spiritualis.

Forma omnium consensu Theologorum, Canone excepto, sunt verba, vel signa mutuum consensum exprimentia. *Forma.*

Minister autem sunt coniuges ipsi. Nam, cum ad Ministrum proprie pertinet verba formæ pronuntiare, & per ea Sacramentum conficere, & in hoc sacramento verba formæ à coniugibus proferantur, necesse est coniuges ipsos esse proprios huius sacramenti ministros. Neque absurdum videri debet, quod in eisdem personis concurrat causa materialis, & efficiens: id enim exigit natura contractus, qui de personis contrahentium fit. Quemadmo-

dum enim, si quis in seruum alicui se ipse venderet, idem esset vendens, & res vendita, efficiens, & materia: sic etiam in Matrimonio, cum ipsi coniuges se mutuo tradant, ac donent, ipsi efficientes, & ipsi materia sunt. Et quanquam requiritur ex decreto Ecclesie, minister Ecclesiasticus, qui consensum coniugum exquirat, & eundem approbet, & declaret, & benedictione Sacerdotali confirmet; tamen proprie, qui Matrimonij Sacramentum efficiunt, ipsi coniuges sunt.

## CAPVT III.

## De vnitae Sacramenti Matrimonij.

Prob. 1.  
Licitas esse  
secundas  
nuptias.  
Rom. 7.  
1. Cor. 7.  
1. De bono vi-  
ditate  
6. 12.  
1. Tim. 5.

**D**E vnitae Matrimonij Catholici verbo, & facto docent secundas nuptias, immo etiam tertias, & quartas, & alias deinceps esse licitas, & vera Matrimonia; atque adeo Sacramenta.

Id ex Apostolo manifestè colligitur, qui affirmat mulierem viro suo mortuo non fore adulteram, si alteri viro nupserit. Et alibi: *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantum in Domino.* Vbi Augustinus obseruat non dixisse B. Paulum: Si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius, sed indefinite; *Vir eius.* Proinde semper nubere licet mortuo marito, quotus tandem fuerit. Idem viduas iuniores hortatur, vt secundò nubant ob incontinentiæ periculum.

Prob. 2.

Idem patet ex Concilio Nicæno, Florentino, & Patribus. Quòd autem secundæ nuptiæ non benedicantur, sicut primæ, non est ideò, quòd sacramento careant; sed quia benedictio in primis nuptijs data non perit, neque debent iterum benedici, qui semel benedicti sunt.

Ess. 24.  
can. 2.

Porrò primus, qui inter Christianos polygamiæ multarum vxorum simul aditum patefecit, videtur fuisse Valentinianus Imper. alioqui pius, & Catholicus Princeps. Is enim, cum amore captus esset Iustinæ cuiusdam, eamque in Matrimonium ducere vellet retenta priore coniuge seuera, ex qua Gratianum filium iam susceperat; vt colore aliquo intemperantiam suam tegeret, legem promulgauit, vt liceret vnicique duas simul coniuges habere. Sed Concilium Tridentin. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla esse lege diuina prohibitum, anathema sit.* Idem antea multi definierunt Pontifices.

Prob. 1.  
Illicitam esse  
polygamiam.

Matth. 19.

Prob. hæc veritas primò: Christus reuocat Matrimonium ad primam institutionem, ac vult eam deinceps valere. Sed prima illa institutio excludit polygamiam: igitur à Christo est prohibita. Maior propositio prob. Nam Dominus interrogatus à Pharisæis; An liceret vxorem repudiare? respondit non licere. *Quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaq; iã non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet.*

Et